



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 103. Vtrum plures possint simul eundem baptizare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

dicitur clericis inferioribus; ergo signum est, quod aliquo speciali modo diaconis potest committi munus baptizandi, quo non potest committi clericis inferioribus; ideoque etiam his temporibus probabile existimat Vasquez cum Soto, quod in regionibus Indiae, in quibus paucissimi sunt sacerdotes, posset diaconis iniungi munus baptizandi in defectum sacerdotum. Diaconus igitur, quia ex vi suae ordinationis est minister sacerdotum, potest ex vi eiusdem supplere defectum sacerdotum quoad baptizandum, & quoad quaedam alia, quae primò, & per se spectant ad sacerdotem.

7. Diaconus, & alii inferiores, si baptizent extra casus, in quibus possunt licite baptizare, peccant mortaliter, ut docet communis sententia, quam sequitur Vasquez hic disp. 146. cap. 5. Ratio est, quia, cum materia est grauis, praecipua grauius obligant; sed administratio baptismi est materia grauis; ergo praecipuum, ut diaconi, & alii inferiores non administrant baptismum, nisi in certis casibus, obligat grauius, adeoque per se, & praescindendo ab ignorantia, mortaliter peccant, si baptizent extra casus, in quibus permittitur illis baptizare. Falsa igitur est opinio Caictani hic in commentario articuli 4. docentis laicum, si sine necessitate, ac sine solemnitate baptizet, & non ex contemptu, neque ex praesumptione id faciat, peccare solum venialiter.

8. In casu necessitatis extremae si plures adsint, qui possint baptizare, si adest sacerdos, nullus alius potest baptizare. Ratio est, quia solus sacerdos est per se idoneus minister baptismi; aliis permittitur baptizare, cum non adest idoneus minister; ergo praesente sacerdote nulli alteri permittitur baptizare. Si non adest sacerdos, debet praeferi dignior; ideoque praesente clerico, non potest baptizare laicus, praesente viro, non potest baptizare mulier, praesente fidei, & baptizato, non potest baptizare infidelis, & non baptizatus. Ratio est, quia cum non adest minister simpliciter aptus, praeferi debet minus ineptus. Probabile autem est, quod mortaliter peccet, qui talem ordinem transgreditur, cum enim ministratio baptismi sit materia grauis, grauius peccat qui baptismum ministrat, cum id illi non licet. Debet aduerti, quod si dignior nolit baptizare, tunc minus dignus non solum potest, sed tenetur baptizare. Ratio est, quia perinde est, quod dignior nolit baptizare, ac quod non adsit. Rursus si minus dignus sciat melius baptizare, quam dignior, praefendus est minus dignus.

QVAESTIO CIII.

Virum plures possint simul eundem baptizare?

S. Tb. qu. 67. art. 6.

1. **Q** Veritur primò utrum plures possint simul eundem baptizare?

Respondeo negatiuè. Si igitur duo, vel plures conentur simul baptizare, uterque abluat, uterque proferat integram formam, & uterque habeat intentionem baptizandi adaequatè per seipsum independentem ab alio, per se grauius peccant, siquidem sacramentum baptismi ab vno tantum ministro tribui debet. Licet autem iure diuino non sit vniuersaliter illicitum, ut plures sacerdotes simul consecrent eandem hostiam, ideoque noui sacerdotes consecrant simul cum episcopo, tamen iure diuino est vniuersaliter illicitum, ut plures simul baptizent. Quia enim eucharistia est sacramentum significans vnitatem ecclesiae, Christus insinuat, ut aliquando plures sacerdotes possint licite simul consecrare. Haec autem ratio non valet de baptismò.

2. In casu posito si vnus prius proferat, & absoluat formam, ille solus baptizat, secundus proferens formam non baptizat. Ratio est, quia ex dictis q. 90. num. 2. iam baptizatus non potest iterum validè baptizari; sed qui baptizatur, post abluitionem, prolata integra forma ab vno ministro cum debita intentione, iam est baptizatus; ergo secundus inualide baptizat. Hinc sequitur, quod secundus, qui forma à primo integrè prolata, conaretur baptizare, puniendus esset, tanquam rebaptizator, ut docet S. Thomas hic quaest. 67. art. 6. Si autem vterque simul proferat, & absoluat formam, & uterque abluat, uterque baptizat; siquidem non esset ratio, cur vnus potius baptizaret, quam alius, & ex alia parte vterque poneret sufficientia ad valorem baptismi. Licet vterque baptizaret, tamen non essent duo sacramenta baptismi, sed vnicum ministratum à duobus. Probatum; nam sacramentum baptismi est signum practicum regenerationis spiritualis; ergo tunc est vnus numero baptismus, cum est vnus numero signum practicum regenerationis spiritualis; sed duae abluitiones, & duae formae essent vnicum signum practicum regenerationis spiritualis; ergo essent vnicum sacramentum baptismi. Probatum assumptum. Cum enim plura per modum vnus ordinantur ad idem numero significandum practicum, constituunt vnicum signum practicum; ex. gr. abluio, & prolatio verborum *Ego te baptizo &c.* sunt vnus signum practicum, quia à ministro ordinantur per modum vnus ad significandam eandem numero regenerationem spiritualem; sed duobus eundem baptizantibus, Christus, qui est principalis baptizans, per modum vnus ordinat actionem vtriusque ad significandam practice eandem numero regenerationem spiritualem; ergo esset vnicum signum practicum, adeoque vnicum sacramentum.

3. Ex tradita doctrina non sequitur, quod vterque minister esset causa totalis baptismi, adeoque quod idem numero effectus peteret à duobus causis totalibus. Nam Christus

us est principalis baptizans, adoque causa principalis sacramenti: ergo minister non efficit sacramentum vt causa totalis, sed vt causa partialis, & purè instrumentalis. Rursus non sequitur, quod vterque minister esset causa totalis instrumentalis sacramenti in actu secundo, sed solum sequitur, quod vterque minister esset causa totalis instrumentalis in actu primo. Vt autem dixi in Philosophia lib. 2. quæst. 24. repugnant duæ causæ totales in actu secundo, hoc est producentes eundem effectum per duas actiones adæquatas: at non repugnant duæ causæ totales in actu primo, hoc est sufficientes ad producendum effectum, quæ tamen in actu secundo producant effectum indiuisibiliter per vnâ actionem per modum vnus pendentem ab vtraque causa, vt patet: nam duo equi, quorum vterque est sufficiens trahere currum tanta velocitate, coniunctim possunt trahere eundem currum eadem velocitate, causando motum per vnâ actionem pendentem indiuisibiliter ab vtroque equo. In casu nostro vterque minister in actu primo est causa totalis instrumentalis sacramenti, quia vterque ponit materiam, & formam sufficientem ad hoc, vt sit sacramentum. Quia tamen Christus per modum vnus ordinat duas materias, & duas formas ad significandam eandem numero regenerationem spirituales; hæc autem ordinatio Christi est actio indiuisibilis suo modo pendens per modum vnus ab vtroque ministro, ab vtraque materia, & vtraque forma: ideo actio vltimo constitutiva sacramenti pendet indiuisibiliter ab vtroque ministro, adeoque sacramentum vt sacramentum non pendet à duplici causa adæquata in actu secundo, sed solum in actu primo. Proportionaliter effectus sacramenti, hoc est gratia, & character causantur à Christo per vnâ actionem pendentem indiuisibiliter ab vtroque ministro, seu pendeat moraliter, seu pendeat physice, adeoque, neque gratia, & character pendet à duplici causa totali in actu secundo.

4. Quæritur secundo, vtrum baptismus in casu necessitatis possit validè conferri à duobus, quorum vnus abluat, alter proferat formam.

Respondeo, quod Marsilius in 4. qu. 4. art. 8. dub. 11. & Caietanus art. 6. hic in commentarijs docent baptismum in casu necessitatis validè conferri à duobus, quorum alter abluat, alter proferat formam, præsertim in numero plurali, dicens, *Nos te baptizamus &c.* Est autem casus necessitatis, si duo tantum adessent Catechumeno in articulo mortis constituto, quorum alter esset mutus, adeoque non posset proferre formam, alter esset membris omnibus captus, adeoque non posset abluere. In hoc casu si mutus ablueret, membris captus proferret formam, iuxta sententiam horum auctorum baptismus esset validus.

5. Dicendum nihilominus cum sententia

communi S. Thomæ hic, quem alij sequuntur, quod baptismus in nullo casu potest validè conferri à duobus modo explicato. Probatur. In nullo enim casu, in quo non potest verificari forma baptismi, baptismus potest esse validus; sed forma baptismi est, *Ego te baptizo &c.* hæc autem non verificatur, nisi abluat qui proferat talem formam; ergo &c. Et quia illa forma, *nos te baptizamus*, significat, *ego te baptizo*, & hic alter te baptizat, quod falsificatur, si proferens talem formam non abluat, ideo baptismus etiam sub hac forma collatus esset inualidus. Nec dicas: si baptizaretur sub forma Græcorum, *baptizatur seruus Christi*, talis forma non falsificaretur. Nam eatenus forma Græcorum est valida, quatenus significat exercitè idem, quod forma Latinorum significat signatè, adeoque forma Græcorum habet hunc sensum, baptizatur seruus Christi hac actione baptizandi à me exercita; sed si proferens formam non ablueret, forma Græcorum non verificaretur in hoc sensu; ergo &c. Confirmatur primò: nam absurdum est, quod in aliquo casu possit quis baptizari validè forma Græcorum, non autem forma Latinorum. Confirmatur secundo: nam possent plures validè baptizare, ita vt vnus proferret primam partem formæ *ego te baptizo*, alter proferret secundam partem formæ, *in nomine Patris &c.* tertius ablueret, quod est absurdum. Forma igitur baptismi significat externam abluionem ordinatam ad conferendum sacramentum baptismi, adeoque sensus illius est, *ego te exterius abluo*, & per externam abluionem confero tibi sacramentum baptismi, ideoque licet non sit contra rationem sacramenti *vt sic*, quod alter ministrat materiam, alter proferat formam, vt patet in sacramento poenitentia, in quo poenitens ministrat materiam, sacerdos proferat formam, tamen id est contra rationem specialem baptismi, cuius forma significat, quod qui illam proferat, abluat, adeoque ponat abluionem, quæ est proxima materia baptismi.

6. Addimus cum S. Thoma, alijsque communiter contra Durandum, Marsilium, Paludanum, Caietanum, & Richardum, quos refert, ac rejicit Vasquez disp. 148. cap. 5. quod non possunt plures validè baptizare simul, abluendo, & vtendo hac forma, *nos te baptizamus &c.* Probatur: nam variatio, per quam forma significat aliquid contrarium institutioni baptismi, reddit baptismum inualidum; sed illa variatio esset huiusmodi; ergo &c. Probatur minor: baptismus enim ita est institutus, vt sicut vnus Christus totaliter confert integrum baptismum interiorem, vt causa principalis, sic vnus homo exterius baptizet, vt totalis minister Christi; sed duobus simul abluentibus per hanc formam, *nos te baptizamus* significaretur, quod vterque baptizaret exterius, vt partialis minister, eo pacto, quo si duo trahentes nauim dicant, *nos trahimus*, significatur, quod vterque trahit,

vt

vt partialis causa illius actionis; ergo &c. Quamuis igitur illa verba, *nos te baptizamus* esse essent æquiuoca ad significandum, quod vterque baptizat, vt totalis, vel vt partialis minister exterioris baptismi, tamen per actionem simul abluendi determinarentur ad significandum, quod vterque baptizat exterius, tanquam partialis minister, adeoque ad significandum aliquid contrarium institutioni baptismi. Hinc patet, quare possint plures simul ab vno ministro baptizari sub hac forma, *ego vos baptizo*, & tamen non possit vnus validè baptizari simul à pluribus sub hac forma, *nos te baptizamus*. Disparitas est, quia per illam formam, *ego vos baptizo* nihil significatur contrarium institutioni baptismi: at per hanc, *nos te baptizamus*, concurrentibus alijs circumstantijs, significatur aliquid contrarium institutioni baptismi, vt ostensum est.

QVÆSTIO CIV.

De patrino, seu susceptore, & sponsore baptismi.

S. Thomas quest. 67. art. 7. & 8.

I. EX antiquissima ecclesiæ institutione, ac consuetudine, cuius mentionē faciunt antiquissima Concilia, & antiquissimi Patres, Dionysius, Iustinus, Tertullianus, & alij, quos referunt Suarius, & Vasquez hic, in baptismo solemnī, non autem in priuato, præter baptizantem, & baptizatum, requiritur aliquis, qui baptizatum leuet de sacro fonte, qui vocatur susceptor, sponsor, seu fideijussor, & patrinus. Huius susceptoris præcipuus, ac maximè necessarius actus est, vt baptizatum suscipiat de manu baptizantis, licet possit etiam in baptismo exercere alios actus, tenendi nimirum baptizatum, dum baptizatur, respondendi pro illo &c. Hoc ecclesiasticum præceptum grauitè obligat, ideoque si celebraretur solemnī baptismus sine susceptore, peccaretur grauitè, sed baptismus esset validus. Hac ceremonia suscipiendi baptizatum de manu baptizantis significat susceptor se baptizatum suscipere sub cura sua, & promittit se habiturum curam salutis, & instructionis spiritualis illius: ideoque susceptor vocatur etiam fideijussor, & sponsor. Ratio huius institutionis est, quia cū baptismus sit spiritualis regeneratio, recenter baptizati sunt veluti modo geniti infantes, vt loquitur S. Petrus epist. 2. cap. 2. ergo sicuti infantes de nouo geniti indigent nutrice, à qua nutriantur, & pædago, à quo instruuntur, sic recenter baptizati indigent aliquo, à quo speciali cura instruuntur, & nutriantur lacte fidei; sed sacerdotes baptizantes, vt potè occupati circa curam communem populi non possunt habere specialem curam singulorum; ergo hæc cura debet alteri committi, ac de facto committitur patrino per il-

lam ceremoniam tradendi illi baptizatum.

2. Hinc inferunt communiter theologici cum S. Thoma, quod patrinus tenetur intruendum in fide baptizatum, cum videretur illi indigere tali instructione. Ratio est, quia vnusquisque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Quia tamen qui nascuntur inter catholicos sufficienter instruuntur à parentibus, vel tutoribus, vel dominis, ideoque vt plurimum non indigent instructione patrini, ideo patrini inter catholicos solent excusari ab hac obligatione. E conuerso quia qui baptizantur inter infideles solent indigere instructione susceptoris, ideo susceptores solent obligari ad illos instruendos, immò si accidat, vt baptizatus inter catholicos indigeat instructione susceptoris, susceptorem baptismi tenetur ex officio ad illum instruendum.

3. Leo Pontifex in decreto, quod recitatur cap. 101. non plures de consecratione dist. statuerat, vt vnus tantum esset susceptor baptismi, siue esset vir, siue femina. Post Leonem iure recentiori fuerat introductum, vt plures possent eundem de sacro fonte suscipere, ita vt inter illos, & baptizatum contraheretur cognatio spiritualis, vt patet ex capite *quamuis* de cognitione spirituali dist. sexto. Demum Concilium Tridentinum sess. 24. cap. de reformatione matrimonij decreuit, vt vnus tantum vir, siue mulier, & ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiat, & parochis præcepit, vt diligenter de ijs inquirant, & eos tantum ad baptismum suscipiendum admittant, & in libro eorum nomina describat, doceatque, quam cognationem contraxerint.

4. Post Concilium Tridentinum susceptor baptismi contrahit cognationem spirituales tantum cum baptizato, & cum patre, & matre baptizati, ita vt talis cognatio sit impedimentum dirimens matrimonium. Statuit etiam Tridentinum, vt duo tantum susceptores hanc cognationem contrahant, & abrogat antiqua iura, quibus statutum fuerat, vt omnes susceptores cognationem spirituales contraherent, non solum cum tribus supradictis, sed etiam cum pluribus alijs. Sed de hac cognatione spirituali ex professo factum est in tractatu de matrimonio.

QVÆSTIO CV.

De necessitate, & obligatione suscipiendi baptismum.

S. Thomas q. 68. art. 1. 2. 3.

I. Circa necessitatem baptismi plures fuerunt antiquorum, & recentiorum hæreticorum errores, quos refert Vasquez hic disput. 149. cap. 1. Primus est Pelagij, qui, vt testatur Augustinus libro de hæresib. cap. 88. docuit